

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput vigesimum tertium & videsimum quartum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](http://urn.nbn.de:gbv:ha33-1-148122)

rant, & propter filium mediatorem sibi condonari petunt: tamen recipit Deus, & sibi placere & acceptam esse propter Christum, & amplissimis præmijs à se remunerari, Deus ostendit.

Caput vigesimum tertium & vigesimum quartum.

Propter ostremus actus vita & testamentum Iosuae sequitur, qui inhumanum illud & sceleratum veteris versus votum, ἐπειδὸν τὸν γὰρ μηχαντῶν, se acerrimè odiſſe, maximeq; detestari ostendens, & in omne tempus Reipub. sibi commissæ consulere cupit, & posteritatem ad se pertinere putat: Et de suinmo thesauro legis Dei, seu veræ de Deo doctrinæ, & pietatis ac obedientiæ erga Deum religiosè ad posteros conseruando, se sollicitum esse demonstrat. *Exhortatur itaq; Israëlitas ad constantem pietatem & obedientiam Legi Dei per Mosen traditæ præstandam, & fugiendam omnem contumaciam, ac Idololatriam præcipue, qua velut summō criminē læſæ maiestatis diuinæ, Deus grauissimè offenditur.* *Argumenta Adhortationis,* 1. ab Honesto seu mandato Dei. 2. ab Viili, seu promissionibus præsentia & auxilij diuini & victoriarum præcipuarum. 3. ab Inutili seu horrendis cladibus & pœnis, quibus impietatem eorum, per illas ipsas gentes Cananæas, quarum Idololatriam imitabuntur, Deus vindicabit: & alijs calamitatibus, quas supra Leuit. 26. Deut. 28. & alibi comminatus est. 4. à commemoratione Beneficiorum, quæ huic populo, inde usque à prima origine, in peregrinationibus sanctorum patrum in terra Canaan, in Aegypto, in deserto, & hac ipsa introducione in terram promissam, Deus amplissima tribuit, ducta sunt. Quæ, aliquoties supra Deut. 1. 4. 8. 9. 10. 28. 29. 30. 32. repetita & inculcata, sape à nobis quoq; relegenda & animis inculcanda sunt, ut nostras etiam mentes ad studium veræ pietatis, & timorem Dei, fidem, inuocationem & obedientiam ac gratitudinem ardentiore exuscitemus. Hæc 23. & 24. capituli Iosuæ summa est. Extat etiam, in initio 23. capituli, insigne exemplum tranquilla & florentis senectæ in Iosua, congruens ad Psalmi 92. sententiam illustrem: Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur, Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt. Adhuc germinabunt in senecta, pingues & virides erunt, ut annuncient quoniā rectus Dominus. Etsi autem crudam viridemq; senectam, & vigorem animi & corporis robur mediocre, gubernatoribus & Ducibus nonnullis, rerum gestarum gloria claris, non defuisse legimus, tamen tranquillitas in senecta paucis contigit. Alexander magnus & pleriq; alij bellatores ante initium senectæ perierunt. Alexandri duces & successores, Antigonus annum 81. egressus, ad Ipsum Phrygiæ oppidum: Seleucus anno ætatis 77. ad Lysimachiam à Ptolemæo Cerauno, in acie interfactus est, cum ante paucos menses Lysimachum annos 80. natum in acie trucidasset. Quām inquieta Marij patris & multorum aliorum senecta fuit. At Iosuæ duci, non modò rerum bello gestarum, verū etiam pietatis, sapientiæ, moderationis & omnium virtutum gloria

præstanti, Halcyonia Deus in extrema ætate, & placitum vitæ exitum concessit. Quod exemplum intuentes, nos quoque, appropinquante iam senectute, à Deo iuuari & regi, cum Dauide Psal. 71. precemur. Ne proijcas nos in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me, vsq; in senectam & caniciem Deus ne derelinquas me, donec annunciem brachium (filium) tuum generationi quæ ventura est. Dignum etiam obseruatu est, in 23. capite, testimonium de iureiurando in folius veri Dei nomine præstando; quod Idolatriæ inuocationi sanctorum, quam iuramentis suis pontificij miscent, opponatur.

CAPITIS XXIIII. prima particula, mentionem faciens conuentus populi Israël, in vrbe Sichem, à Iosua congregati, admonet: Quæres in COMITIIS imperij & regnorum præcipue proponi & tractari debeant: videlicet vt vera de Deo doctrina, & veri cultus Dei ac religio pura & illibata ad posteros transmittatur, & mores ac disciplina ciuium honesta & sancta coheretur. Cum enim homines in politijs & imperijs ideo consociati sint, vt in cœtu & frequentia alij alios de Deo doceant, & vera Doctrinia & doctrina de Christo latè spargatur: prima & summa Imperiorum & Rerum publicarum cura esse debet, vt veram Religionem & Ecclesias ac Scholas recte constitutas in suis cœtibus tueantur & ad posteritatem propagent.

ORATIO IOSVÆ, in postremis Imperij ipsius Comitijs habita, perinde vt superior, ad Genus causarum suaforium pertinet. Denuo enim horratur populum, vt piè ac religiose dominum Deum suum colat, & Legem ipsius reuerenter obtemperet: ac omnem inobedientiam, in primis vero Idolatriam toto pectore fugiat. *Syllogismus principialis, summa Orationis complectens.* Ordo iustitiae æternus & immutabilis est, vt auctori & donatori amplissimorum beneficiorum, gratitudo & obedientia & cultus debitus vicissim præstetur. Dominus Deus populum Israël amplissimis & immensis beneficijs cumulate obruit. Ergo vicissim ei gratitudo, pia mente, & voce, & totius vitæ obedientia subiectissima, declarari à populo Israël debet, & vitari ac fugi Idola, & omnia quæ ipsum offenduntur. Minorem probat & amplificat Iosua *ναρὰ μερισμῶν*, enumeraris beneficijs, huic populo exhibitis, à primo initio vocationis Abrahæ, Isaac, & Iacob, &c. vsq; ad terræ patribus promissæ occupationem & distributionem. Horum beneficiorum commemoratio, totam historiam patrum, Abrahæ, Isaac, Iacob, Mosis, Aaronis, educationis ex Aegypto per mare rubrum, promulgatae Legis in monte Sina, mirandæ gubernationis totos annos in deserto, victoriæ aduersus reges Amorrheorum, Seonē & Ogum, vaticiniorum Balaam, transitus Iordanis, deniq; introductionis in terram Canaan patribus promissam: in Genesi, à capite 11. & 12. vsq; ad finem, in Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & superiori parte libri Iosua recitatam, repetit, & considerandam ac explicandam proponit. Ex ijs igitur, integræ enarrationes historiarum, quas in hac postrema concione seu testamento suo Iosua citat, assumantur.

In singulorum enim patrum & prophetarum mentione, Sex loci diligenter & attente cogitandi sunt. I. Miranda collectio & conservatio Ecclesie per Doctores & instauratores doctrinæ diuinitus excitatos, vt hoc in loco Iosua narrat, Abraham seruientem dijs alienis, immensa misericordia Dei, ad agnitionem veri Dei & promissi seminis vocatum & ex Mesopotamia in terram Canaan, vt Ecclesiam populi Iudaici ibi conderet, adductum esse:

vbi primum eius domicilium fuit oppidum Sichem, Gen. 12. in quo postrema imperij sui comitia Iosua hoc loco celebrat. Deinde *Doctrina*, quam de articulis fidei singulis professi sunt, qua nostram fidem confirmemus, vt in Abraham, Isaaci & Iacobi historia, in primis eminet Promissio de Christo, ad eorum familias alligata: In semine tuo benedicentur omnes gentes, Gen. 12. 22. 26. 28. 49. 15. Ita Moses non tantum Legis Doctor est, sed etiam testis de C H R I S T O venturo, de cuius sacrificio ἡλεκτῷ singularia sacrificia Agnorum Mosaica concionabantur, & Christus ipse inquit: Si Moysi crederetis, & mihi crederetis, De me enim scripsit ille. III. Miracula testimonia patefactionis & præsentiae Dei, & certitudinis doctrinæ, vt tota historia patrum, ac Moysis præcipue gubernatio, plena est miraculorum coram Pharaone, in mari rubro, in deserto, in promulgatione Legis, excussa aqua ex silice, dato manna, &c. editorum. Ita transitus diuini Iordanis, repressus cursus Solis, & mirandæ victoriae Iosuæ, testimonia præsentiae Dei & vocationis huius ducis & veritatis doctrinæ in hoc populo sonantis fuerunt. IIII. Πολιτεύμα seu doctrina, consilia, dicta, facta & Res gestæ singulorum patrum in sua vocatione, & negotijs Ecclesiasticis, politicis, œconomicis, in quibus eorum fides & confessio alijs hominibus præluxit. V. Virtutes singulis pro cuiusq; vocatione imitandæ, vt Fides Ahrahæ, Gen. 15. & Rom. 4. splendidissimè laudatur. confessio, patientia, Ebr. 11. 12. Inuocatio Dei, cuius exempla & formæ passim in historijs patrum, Iacob, Gen. 32. 48. Mosis, Exod. 32. 33. 34. Num. 11. 14. Deut. 32. &c. recitantur. Fidelitas in tota domo Dei seu gubernatione ecclesiæ domesticæ & publicæ, Num. 12. Mansuetudo, Temperantia, Modestia, Fortitudo rogata & bellica, &c. VI. Mors sanctorum Patrum, qui in fide promissi seminaris, ad populum suum, seu cœtum beatæ ecclesiæ congregati sunt, vt in hoc capite, Iosua, consummato cursu suo, placide ex huius vitæ statione, in æternam Dei & ecclesiæ cœlestis confuctudinem decedit. Est enim Mors piorum, felix transitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem, vt in vita S. Bernardi dicitur, qui alibi mortem impiorum & piorum discernens, inquit: Mors impiorum pessima, quorum & nativitas mala & vita peior. sed preciosa mors est sanctorum, plane inquam preciosa, vt quæ & finis laborum est, & victoriae consummatio, aditusq; & ianua ad vitam, & æternam securitatem.

TEXTVS XXIIII. capit. S I C H E M & Sichar (Iohan. 4.) & Sichima, vrbs in tribu Ephraim ad montem Garizim sita, propè quam Abraham ex Haran Mesopotamiæ in Palæstinam profectus, primum habitavit, Gen. 12. & Iacob postea agrum emit, Gen. 48. in quo & ossa Ioseph sepulta sunt, Ios. 24. Ipsum etiā oppidum Sichem, à Simeone & Leui, propter stupratam sororem Dinam, cædibus exhaustum, Iacob possedit, Gen. 34. 48. Fuit vrbs Leuitarum & refugij, Ios. 20. 21. in qua Iosua paupero ante mortem comitia celebrat, in quibus Israëlitæ ad cultum veri Dei seuerissimè cohortatur. Funditus deleta ab Abimelech, Iudic. 9. Deinde rursus instaurata est à Hieroboam rege Israël, qui sedem aulæ illic habuit, 3. Regum 12. Ieronymi tempore Neapolis dicta est. Σεχεμ, humerus, foitasse à situ in monte. Trans flumen Euphratem, in Vr seu Orchoë, vt à Ptolemæo nominatur, vrbe Chaldaeorum. vnde in Mesopotamia

tamiae urbem Haran seu Carras migrarunt, Gen. 11. Thare, pater Abraham, Gen. 11. Acto. 3. נְבָרֶת respiratio, refrigeratio. Abraham, pater multarum gentium, Genesis decimo septimo, Roman. quarto. נַחֲרָה, frater Abraham, Genes. 11. 22. נְכֹוֵר requies lucis. *De Mesopotamia, μέσην ποταμού*, regio media inter duos fluvios Euphratem & Tygrim. Latinè Interamni dicta à Plinio, qui Babylonem etiam & Chaldaeam Mesopotamiæ attribuit. Ideo Stephanus Actor. 7. Dominum in Mesopotamia apparuisse Abrahamo dicit, priusquam in Haran habitaret. *Adduxit cum in terram Canaan*, Genesis duodecimo. נַעֲמָן mercator. *Dedi ei Isaac*, Genes. 18. 21. 22. 24. 26. 27. 35. נַעֲמָן, risus. *Jacob nascitur*, Gens. 25. נַעֲמָן, supplantator. *Esau*, rey operarius, Genes. 25. 27. 33. 36. *Montem Seir*, Genes. 36. נַעֲמָן hispidus, satyrus.

Jacob & filii eius descenderunt in Aegyptum, Gen. 46. AEgyptus, nota regio Africæ, ab ortu sinum Arabicum seu mare rubrum, & Arabiæ partem: à meridie Aethiopiam: ab occasu Libyam: à septentrione mare mediterraneum, attingens: per quam medium Nilus labitur. Distributa fuit in Nomos seu præfecturas. Ex his Taniten & Heliopoliten, Israëlitis concessas esse, & in Genesi terram Iessen vocari, existimant. Vbiq; autem in sacra scriptura Aegyptus nominaatur terra Mizraim, à filio Cham, Genes. 10. vt in hodiernum usq; diem à Saracenis & incolis Aegyptij appellantur Mizraim, tribulantes, adfligentes. Aegyptus vero à Rege Aegypto, fratre Danai dicta est, qui viuente adhuc Moyse, & cum populo Israël in Arabia Petræ vagante, fratrem Danaum in Græciam expulit. Unde Græci à Poëtis Danai interdum vocantur.

Est autem eductio populi Israël ex Aegypto, per mare rubrum & desertum, in promissam terram Canaan, facta anno mundi 2453. vnum ex præcipuis & maxime admirandis operibus Dei & testimonij diuinæ pæfactionis, & imago futuræ & æternæ liberationis omnium piorum, qui per Christum ex peccati, legis, Diaboli, & inferni captiuitate liberati, per desertum huius mundi, & per mortem, introducti in promissam habitationem cœlestem, Psal. 94. Ebr. 3. 4. 11. Ezech. 20. Ac meminit huius profectionis ex Aegypto etiam Strabo lib. 16. Nostro tempore Aegypti regnum Turcico Imperatori paret, ac à Selymo, patre Solymanni primum occupatum est, caeo Campione Sultano ad Singam fluum in Syria, anno 1516. die 26. Augusti, & paulò post Tonumbeio, qui Campioni successerat, ad portam urbis Alcairi, strangulato, anno 1517. die 13. Aprilis. Aegypti metropolis est Alcair, seu Memphis, in qua Iouius scribit hodierno die templum & cryptam ostendi, vbi Maria virgo Herodis fœnitiam effugiens, cum infante Christo latuerit, Matth. 2. Abest autem Memphis (cuius longitu. 61. 50. latitud. 29. 50.) ab oppido Bethlehem circiter 54. mil. germanica. In hac profectione, Mariam & Iosephum, decem aut duodecim dies consumere oportuit, in qua, mirabiliter eos Filius Dei comes itineris defendit, sicut ante annos 1510. populum Israël per eadem loca iter facientem, nube & flamma protexerat. Et sicut eodem tempore, quo Maria in Aegyptum concessit, sanctam anum Elizabeth, cum Iohanne Baptista infante fugientem trans Iordanem, in spelunca monti aliquantis per abscondit, & umbra manus suæ protexit.

SERIES MVTATIONVM IN RE-
GNO AEGYPTI PRÆCIPVARVM.

- Anno 1802. **MIZRAIM** filius Cham, nepos Nohæ, primus Aegypti rex anno 146. post Diluvium : à quo Aegyptij in hodiernum usq; diem se **MIZRI** nominant, Gen. 10.
2238. **IACOB** patriarcha in Aegyptū ad filium Ioseph migravit, Gen. 46.
2453. **EXITVS** Israëlitarum ex Aegypto , cuius Rex eo tempore Pharaoh Chencres , in mari rubro submersus est, Exod. 14.
Sequentium Regum series , usq; ad Cambysen Persam , in Eusebio & Euterpe Herodoti recensetur.
3440. **CAMBYES**, Psammenito postremo rege capto , Aegyptum occupat, Herod. lib. 3.
3480. **XERXES** Aegyptum recepit, cum triennio antè à Persis defecisset , lib. 7. Herod.
3550. Aegyptij à Persis deficiunt, anno 8. Darij Nothi. & 64. annis proprios Reges habuerunt usq; ad Nectanebum.
3614. Quo pulso, Ochus Aegyptum recepit.
3632. **ALEXANDER MAGNVS** Aegyptum occupat, & urbem **ALEXANDRIAM** condit. Inde Ptolemæi eam tenuerunt usque ad **AVGVSTVM** Cæfarem , qui Cleopatra & Antonio victis , Aegyptum populi Romani prouinciam fecit. Postea in Romanorum Imperatorum potestate mansit annos 730. Excusis Romanis
- Christi Anno 703. **CALIPHAS** Saracenorum Rex , eiusque posteri, in Aegypto regnauerunt annis 450.
1153. **SARRACO** Hyrcanus , Sultani Syriæ praefectus , à postremo Caliph aduersus Almericū Ierosolymæ regem , in auxiliū vocatus , oppressis Caliphis, Regnū Aegypti cum posteris tenuit annis 100.
1187. **SALADINVS** Sarraconi ex fratre nepos , Ierosolymam Christianis cripuit. Mammaluchos primus instituit.
1229. Fridericus II. Imperator Ierosolymam pactionibus certis à Sultanō recepit.
1248. **MELECH SALA**, Ludouicum IX. Galliæ regem ad Damiatam cepit , à Mammaluchis interfectus est. Ei successoris **TUREMIVS** Mammaluchus.
1268. Bendocader Antiochiam Christianis cripuit.
1291. Melech Vstrophus Ptolemaide occupata Christianos ex tota Palæstina eiccit.
1494. **CAITBEIVS**, qui Baizetis Turcarum Imp. exercitus in Ciliçia profligauit.
1516. **CAMPSON** Aegypti Sultanus , à Selymo Turcarum Imp. in Syria occisus.
1517. Die 17. Ianuarij, Tonumbeius postremus Aegypti Sultanus à Selymo victus & Alcairum occupatum est, ac tota Aegyptus in Turcarum potestatem venit.

Misiq. Moysen, Exod. 3. 4. 6. &c. *¶* extractus ex aqua Nili,
in quam infans ad necem expositus erat, Exod. 2. Seriem annorum vitæ &

rerum gestarum Moysis recitauimus supra fol. 21. 22. Aaron ἡρρη mon laudis, seu ἔχαρξι laudum diuinorum, Exod. 4. 6. 7. 28. 29. Leuit. 9. summus sacerdos ecclesiæ populi Israël & Typus Christi sacerdotis æterni ordinatur. Percusi Aegyptum multis signis. decem poenis miraculosis, Exod. 7. 8. 9. 10. 11. Quas insigni epigrammate complexus est Nazianzenus, quod studiosi meminerint:

Mάστιγας αἰγύπτιοι κακόφρονος αἰὲν ἀρίθμιος
ωσκεν τὸν οὐρανόν καθέτι τῷ μεγάλῳ.
αἴματι μὲν περιτίσσον ὑδῶν ἐρυθαινετο γάινος,
δύτερον αὖ βατράχους ἔβαστεν ἀλομένης.
τὸ τείτον αὖ, σκυπέσσιν αὖ καὶ γαῖα καλύφη,
καὶ κινόμυγα Φάνη τέτελον ἐξαπίνης.
τεμπτὸν τελεσπόδεοτιν Ἐπίχρεας λογίος ὄλεθρος.
φλύκιδες αἰθρώπων σώμασι ἐκτον ἀχθοί.
έδεσμον, υπὲ κάλαζα μέση ταῦρος ὄμβρος ἀμακήθος,
σύγδονον, εἰς ἀκριδῶν ἀλετο χλωρὸν ἀπαν.
έναλον, αἰγύπτιοι τεδον κατὰ ινὴς σκάλυψε,
περιτούκων ἐμόρος ἡ δεκάτη βάσανος.
Prima rubens unda, ranarum plaga secunda.
Inde culex tristis, post musca nocentior istis.
Quinta pecus stravit, vesicas sexta creavit.
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando.
Non aegrit Sōlem, primam necat ultima prolem.

*Eduxiq; vos, Exod. 12. 13. per mare rubrum, Exod. 14. Sinus Ar-
bicus à Ptolemæo, hodie Bohur curson, id est, mare clausum, nominatur,
& à finibus Aegypti & Syriæ Palæstinae, ac vrbe Heroo, triginta gradus
latitudinis habente, incipiens, longissimo tractu inter Arabiam felicem &
Aegyptum ac Aethiopiam, ferè per 260. miliaria Germanica versus meridiem
porrigitur, vbi angustis faucibus propè urbem Arabiæ felicis Adenam,
quæ Ptolemaei temporibus Ocelis tuisse existimatur, nec plus 12
gradibus ab Aequinoctiali distat, in sinu Aualitem & oceanum meridiona-
lem effunditur. Estque simili ferè figura & amplitudine cum sinu Adriatico,
seu potius vicino nobis mari Balthico, quod ab Helleponto Danico, vel
vrbe Lubeca Heroopoli, initio facto, per 250. mil. inter Germaniam, Bo-
russiam, Liuoniā, Russiam, & opposita Daniæ, Gothiæ & Finnoniæ littora,
VViburgum vsq; versus Eurum extenditur. Latitudo autem rubri maris, ut
nostræ etiam Balthici sinus alibi amplior, alibi angustior fuit, sed supra Ar-
noēn portum, quem hodie Suezzian Aegyptij nominant, ad minimum 12,
quindecimue miliaria germanica patuit. Quare tres aut quatuor dies sex-
centa milia Israëlitarum, in trasitu maris rubri consumisse apparet, Exod.
14. Appellationem maris rubri, vel ab arena rubea, vel, quod maximè
consentaneum est, à rege Erythræo, Persei filio, extitisse crediderim. Nam
quæ de fonte aquam rubicundam & minio plenâ in mare emittente: aut de
colore per reflexionem expresso vel à sole verticali, vel à montibus ex adu-
stione rubentibus, aliqui communiscuntur, alieniora sunt. Et ipse cum Vnga-
ro nobili collocutus sum, qui expeditioni maritimæ, Solymanni auspicijs
anno 1538. in mari rubro, contra Lusitanos, Indiae negociatione in Hispani-
am auertentes, suscepitæ interfuit, qui mare rubrū nihil colore à ceteris ma-
ribus*

ribus differre testabatur. Ebræi יָם מִן, mare iunci, seu mare caricis, aut papyri nominant, quod ad eius littora copiosissima sint carecta & papyrienes. Habitatis in solitudine multo tempore. 40. annos, Exod. 15. 16, 17. & in toto libro Numerorum. Introduxi vos in terram Amorreit trans Iordanem, Num. 21. 32. Surrexit Balach filius Sephor, Num. 22. בָּלָק Balak, exterminator, נֶבֶל Ziphor, coronatus. Balaam filium Beor. Historia Numer. 22. 23. 24. 31. enarrata est, quæ Michæ. 6. Apoc. 2. 2. Reg. 2. & in epistola Iudæ citatur. בְּלֵך Bilcam, confusus populus. Beor, fatuus. Transiitq; Iordanem, Ios. 3. 4. supra fol. 36. 37. Hiericho, Ios. 2. 6. supra fol. 33. Amorreus & Pherezeus, Deut. 7. Ios. 3. 9. 11. 12. SERVIE MVS DOMINO, QVIA IPSE EST DEVS NOSTER. Obligatio ad obedientiam primo præcepto decalogi præstandam, cuius summam, quatuor aphorisimis: Audi Israël, Dominus Deus noster Deus unus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies: Non tentabis Dominum Deum tuum: comprehensam, supra Deut. 6. vtcunq; declaratam & euolutam, ad huius concionis illustrationem vna adhibere auditores possunt. Non poteris seruire Domino. Non deterret eos à veri Dei cultu, sed voluntariam & spontaneam ac magis firmam obligationem, præstandæ Domino obedientiæ, à populo elicere studet, ne coacti imperio Ducis, & Legislatoris, promissoe viderentur. Q. D. Res magna & periculosa est, quam pollicemini: Bene considerate quid promittatis. Nam violantes hoc promissum, & deserta fide vni vero Deo debita, colentes Idola, seuerissime Deus puniet & perdet, vt in primo præcepto dicitur, DOMINVS DEVS TUUS filiis zelotes est, visitans iniquitatem patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem. Tulerit lapidem prægrandem, Leuit. 26. Non facietis vobis Iacolum nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Erigitur autem hic lapis à Iosua, non vt colatur, sed vt monumentum spontaneæ obligationis populi, de verò Deo Iehoua religiose colendo. Mortuus est Iosua filius Nun, anno mundi 2511. ante natum Christum 1451. Hoc anno Christi 1573 elapsi sunt anni 3024. Thamnath, sita in monte Ephraim, long. 65. 48. lat. 32. 3. Ab hac vrbe, sub imperio Romano dicta est præfectura Thamnitica. מַגְנָה perfecta. Montus Gass, עֲסָא à tremendo. Ossa quoq; Ioseph, Gen. 50. Exod. 13. Ebr. 11. Per fidem Ioseph moriens de egressione filiorum Israël meminit, deq; ossibus suis mandauit. Quem emerat Jacob a filiis Emor, Gen. 33. הַמְּדֻבָּר Hamor, asinus. Eleazar, filius Aaron, sacerdos, Exod. 6. 28. Leuit. 10. Deut. 10. Num. 24. 20. & passim in cæteris capitibus. Ut autem Mosis & Aaronis, ita Iosuæ Ducis & Eleazaris sacerdotis coniunctio & concordia, singularē ecclesiæ & Reipublicæ populi Iudaici præsidium & ornamentum fuit. יְהוָה Deus adiutor. Gabaa, גָּבָא Gibeath, alta, excelsa, in finibus tribus Ephraim & Benjamin, tria diuersa oppida ijsdem fere literis scribuntur Gabaa, Gabaoth, Gabaoñ. Phinees sacerdos post Eleasarum, Num. 25. 31. Syrac. 45. Psal. 106. Ios. 22. יְהוָה os confundens. Haec tenus nomina propria 24. capitulis Crammatice declarata sunt.

Cum autem in extrema calce libri Iosuæ, mentio fiat sepulturæ trium præstantissimorum Herorum, Ducis Iosuæ, patriarchæ Ioseph, & sacerdotis Eleazari, de pijs Funerum & Sepulturæ ritibus ecclesiæ visitatis in oratione quadam funebri à me proximis diebus recitata, adiungere postremæ huic historiæ de sepultura Iosuæ studiosi possunt: